

ex ipsis dixit: Domine, viam nostram dirigamus ad civitatem et amicos nos esse simulemus. Forte recipient nos ut amicos et sic poterimus comprehendere civitatem. Post hoc consilium dux militi dixit: Bonum consilium dedisti nec unquam in probis operibus defecisti. Post hec quidam ex sapientibus suis dixit: Domine, primo duo milites premittantur, post eos quatuor, post quos decem, postea quadraginta et hi omnes cives et amicos se regis Bohemie protestentur. Post hos exercitus subito sequatur, ut, si primi civitatem fuerint ingressi, per consequens ingredi liberam exercitus habeat potestatem. Sicut deliberaverunt, ita omnia perfecerunt. Apropinquantes autem primi nuntii civitati clara voce pariter cantaverunt. Bohemi custodes civitatis cum vocem cantancium audivissent, gaudio replebantur. Suspiciabantur enim cives et amicos suos cum leticia rediisse. Pontes demittuntur, porte reserantur et pacifice salutantur ac ingredi libere permittuntur. Quatuor autem milites sequentes benignissime receperunt, quia prospera de suis civibus retulerunt. Milites autem decem, qui priores sequebantur, suspecti custodibus habebantur et portas aperire sicut ceteris precedentibus noluerunt. Tunc hii decem Bohemis custodibus verbis mendacibus hec referebant: Nos de vestris sumus et dominum episcopum de Olmitze cum civibus ad tuta loca deduximus. Nunc ad propria remeamus. Tunc custodes portas apperuerunt et intrare libere permiserunt. Milites hii predicti civitatem festinanter intrare noluerunt, sed in porta permanentes custodes verbis mendacibus et fallacibus deceperunt donec quadraginta sequentes ad civitatis menia pervenerunt. Decem milites predicti cum suos adesse vidissent, custodes porte evaginati gladiis invaserunt et de porta fugere coegerunt. Custodes portam^{v)} relinquerunt et ad hospicia sua fugientes se suaque salvare cupientes civitatem captam omnibus nuntiabant. Milites predicti civitatis portas violenter tenuerunt et ducem cum exercitu^{w)} suo supervenientem intrare libere permiserunt. Cum sic dux civitatem potenter fuisset ingressus et ipsam cum suis obtinisset, cepit per preconem hec civibus nuntiare: Nulli malum ex civibus in rebus vel corpore vel famulis inferetur. Bohemi tantum adversarii nostri perducantur et in custodiam deportentur. Post hec viri mulieresque militibus ducis | Bohemos in domibus suis absconditos ostenderunt et captivitati publice tradiderunt. Hanc civitatem dux Bavarie predicto modo leviter et mirabiliter expugnavit. Fuit autem expugnata anno domini ducentesimo septuagesimo septimo.

fol. 185v

1277

v) portam in der Hs. zweimal
geschrieben

w) Hs. exercito